

Cum Bannitis seu ab Imperio proscriptis, omnia humanitatis officia denegentur, ita ut nemo eos domo mensave recipere possit; eaque interdictio in effectu idem operetur, quod olim aquæ & ignis interdictio: eò quòd utrisque sic interdictis, ex defectu necessariae sustentationis pereundum esset: Et verò constet, in locum aquæ & ignis interdictionis, Deportationem successisse: *l. rei capitalis. 2. §. constat. 1. ff. de pœn.* Inde factum videtur, quòd hodie Banniti seu ab Imperio proscripti, Deportatis, & aliquâ in parte etiamnum ipsis aqua & igni interdictis, comparantur, ut videre est apud Geil. *de pac. publ. lib. 2. c. 1. n. 17. 19. & 24.* Sed est revera disparitas inter istos minimè obscura. Nam Deportati adstringuntur & quasi includuntur insulæ, seu certo loco, & quidem ipsius Imperii: *l. 1. §. relegandi. 3. ff. de off. præfect. urb.* ita ut ne fines ejus excedere valeant, sub pœna capitis: *l. relegati. 4. ff. de pœn.* sed mane e ibi cogantur, & commercia exercere possint, commodo fisci, eis quandoque defunctis successuri, *l. deportatus. 15. §. 1. ff. de interd. & releg.* At hodierni Banniti, seu ab Imperio proscripti, ut ipsum nomen indicat, Imperii finibus quodammodo excluduntur, nec ullo modo intra eos tolerantur.

LIII.

An solis Deportatis accidat media capitis diminutio?

Non: sed accidit ea etiam transfugis, hoc est,

C 5

iis